

mo nisi per Christi fidem ingreditur et baptismum. Per unum ostium ingredi in arcam Noe debuerunt quotquot salutem obtinuerunt. Idem de ostio Ecclesiae sentiendum. Nam imprimis: *Sine fide impossibile est placere Deo*, ait apost. ad Hebr. XI. et Christus: *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. XVI. quia, ut ait Eusebius Emisenus, ho. II, de symb. « Fides est origo justitiae, initium sanctitatis, principium devotionis et fundamentum salutis aeternae. Quicumque hanc deserit, ut proprii cerebri male sanum ductum sequatur: qui absque hac divina mysteria sua solummodo sapientia penetraturum praesumit, similis est illi qui omisso fundamento edificare, aut praeterito ostio per tectum intrare nititur, aut qui in tenebris ambulans in praecipitium se agit oclusis voluntarie oculis, qui ei ducatum praestare potuissent. Christus autem veniens in hunc mundum, ut errantes viam salutis doceret, fidem nobis dedit, qua Deum incognitum hactenus cognoscentes inquireremus; et, invento, fidem haberemus, fidem autem habentes ipsum tandem obtineremus. » Baptismus porro Christi et ipse Ecclesiae ostium est, similitudine Jordani, ut scribit Origenes, homil. IV. et V. in Jos. quem duce Josue transire debuit, quisquis terram promissionis voluit intrare. Aquae Jordanis non suapte natura, sed divina vi constiterunt seque diviserunt: sic baptismus non naturali, sed supernaturali virtute abluit peccata. Divisi Jordanis aquae inferiores defluerunt in mare mortuum: superiores minime, sed steterunt. Illae baptismum Joannis, qui gratiam et salutem non conferebat, hae baptismum Christi gratiam conferentem denotant. Per transitum Jordanis in terram quidem optatam, lacte et melle manantem deventum est; sed in qua tamen adhuc contra varios hostes depugnandum erat: ita per baptismum ingredimur quidem in Ecclesiam Christi, sed militantem cum carne, mundo, diabolo, nondum triumphantem.

Tertio, ostium est gratiae. Nemo enim ad Dei gratiam venit, nisi per Christi merita, quemadmodum ad Assuerum nemo venire poterat, nisi prius oscularetur ejus sceptrum, Esth. IV. Sceptrum Christi crux est, huic acceptam feramus gratiam, quam adepti sumus; non osculemur manum nostram, quasi nos eam nobis paraverimus, juxta id Job XXXI. *Si osculatus sum manum meam ore meo!* hoc est, si laudavi opera mea, vel tribui illis, quod Deo tribuendum.

Quarto, ostium est gloriae caelestis; quicumque ad eam ingreditur, per Christi merita ingreditur. Unicus ipse mediator noster est, quia unicus ipse redemit nos et caelum nobis promeruit. Unde subdit Dominus: *Per me si quis introierit,*

*salvabitur, et ingreditur et egredietur, et pascua inveniet.*

Dices: Ergo frustra invocamus sanctos, siquidem per solum Christum veluti per ostium ingredi caelum oportet. Respondeo Christum solum esse ostium, sanctos vero esse quasi malleolos ostio illi appensos. Ut ergo pulsu malleoli obtinemus ut ostium nobis pateat; ita sanctorum, quos invocamus, interventu Christus excitatur ut caeli viam nobis pandat. Sola Christi merita caelum nobis pandunt, sed ut nobis pandant, sancti intercedunt.

III. Quis ostiarius? Respondet Theophylactus, esse Spiritum sanctum, qui custodit Ecclesiam ejusque fores obsidet, dirigens pontificem caeterosque episcopos, ut legitime eligantur et eligant pastores. Hic est qui pastores in Ecclesiam admittere debet. Ancilla vero ostiaria, quae Petrum admisit, caro est, ambitio vel avaritia, quae admissos adigit ut Christum negent ac pernegent.

Porro quomodo Spiritus sanctus velut ostiarius custodiat primam sedem, ex plurimis apparet. Fecit enim ut hactenus invicta semper staret contra omnes tyrannorum et haeresum incursus: fecit ut in rebus fidei nullo unquam tempore erraret: fecit ut nemo pontificum in haeresim laboraret: fecit ut sedes illa diu non vacaret, sed continua pontificum serie cohonestaretur: fecit ut etiam praesidentibus interdum malis pontificibus non everteretur, aut a fidelibus despiceretur: fecit ut a regibus et principibus christianis summa coleretur reverentia: fecit ut opibus et potentia stabiliretur ad sui defensionem et dignitatem conservandam: fecit ut multi sancti in ea praesiderent; et alias communiter viri omni sapientia, doctrina et virtute excultissimi.

IV. Quinam illi fures et latrones de quibus Dominus: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones?* Respondeo, restringendam Domini sententiam ad duplicem pastorum sortem, de quibus supra. Primo, ad eos, qui per ostium non intrant seu legitime vocati non sunt: his enim paulo ante dixerat Dominus: *Qui non intrat per ostium, etc. ille fur est et latro.* Manet ergo in his terminis Christus et ait: *Omnes quotquot venerunt* (tali scilicet modo, per foramen, non per ostium) *fures sunt et latrones*, uti Jason, Menelaus, Lysimachus, Alcimus, quibus junge Herodem, qui ad regnum non per ostium, sed aliunde per Caesaris gratiam intravit; item Annam, Caipham et Romanos praesides.

Secundo, ad eos, qui licet essent legitimi pastores, improbi tamen erant, et Christum non tantum non imitabantur aut recipiebant, sed potius oves suas ab eo avertebant et conspirabant in eos, qui Christum confiterentur, ut ex-

tra synagogam fierent: praeterea quastum tantum et gloriam suam querebant, quales erant tunc Pharisei, quos hic taxare videtur Dominus. Quamquam vero alibi hos dicebat audiendos esse, intellexit tamen, cum recte docerent et Deo non contraerent. Quoad hoc enim subit Dominus hic: *Et non audierunt eos oves*, uti caecus ille a nativitate, alique quotquot Christo crediderunt.

V. Quid illud *ingredietur et egredietur?* Resp. primo, juxta phrasim Hebraeam idem est, quod regere et agere cum libertate et securitate, necnon felici successu; quemadmodum 1. Reg. XVIII. dicitur de Davide: *Egrediebatur et intrabat in conspectu populi.* Significabat ergo dandam legitimo pastori gratiam, ut possit recte operari et suos rite pascere, juxta id Ps. X. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum*, id est, totam vitam tuam omnesque actiones tuas. Et hoc est quod a Deo petiit Salomon, II. Par. 1. *Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum digne judicare?*

Secundo, alii mystice exponunt. D. Augustinus: « Ingridiatur per ostium in Ecclesiam et egredietur inde in vitam aeternam: » D. Greg. ho. XIII. in Ezech. « Ingridietur ad fidem, egredietur ad speciem: » rursus August. « Ingridietur ad internam meditationem, egredietur ad externam operationem: » auctor imperfecti: « Ingridietur, dum curam habebit interioris hominis, egredietur, dum mortificabit membra externa: » D. Thomas: « Ingridietur intra Ecclesiam ad fideles et egredietur extra Ecclesiam ad infideles: » auctor. 1. de spiritu et anima: « Ingridietur ad divinitatem meam, egredietur ad humanitatem meam: » rursus Greg. 1. Reg. c. XVI. « Intus habebit pascua contemplationis, foris pascua boni operis. »

VI. Quenam ovium Christi pascua? Resp. primo, esse doctrinam evangelicam, aliosque ss. libros a patribus et Ecclesiae doctoribus

conscriptos, quorum lectione pascimur, recreamur, et adolescimus.

Secundo, esse sacramenta, praesertim s. eucharistiam, in qua propria carne et sanguine Christus oves suas pascit, sacrum item missae sacrificium.

Tertio, esse virtutes et virtutum exempla, quae cernuntur in Ecclesia, optimum odorem redolentia, uti in sanctis innumerabilibus patet.

Porro pascua ita inficere et pervertere solent haesiarchae, ut alibi ostendimus, a quibus nos abstinemus; quemadmodum pecora abstinere ab infectis pascuis.

VII. Quid illud: *Ut vitam habeant et abundantius habeant?* Resp. multiplicem hujus loci interpretationem afferri hic a Barradio. Prima est, Augustini et aliorum: *Veni ut oves meae vitam habeant in hoc saeculo per fidem vivam, et abundantius copiosiusque habeant vitam in caelo aeternam.*

Secunda: *Veni ut vitam habeant gratiaeque justificationem, et abundantius eandem habeant per quotidianos virtutum gratiaeque progressus.*

Tertia: *Veni ut vitam habeant gratiae et abundantius habeant, quam habuerunt veteris testamenti oves, quoniam abundantius gratiam largitur nunc Deus in novo, quam in veteri testamento.*

Quarta, caeteris verisimilior: *Veni ut vitam habeant meae oves, et abundantius habeant, hoc est, non solum vitam habeant a morte peccati in vitam revocatae, sed ut vitam habeant omnibus virtutibus et Spiritus sancti donis abundantem. Haec fere Barrad.*

Nos ergo auditores, velut oves Christi ad veram contendamus vitam, omni honorum genere redundantem, quaeramus hic virtutum, doctrinae et sacramentorum pascua, ut perveniamus ad illa aeterna; hic quaeramus vitam gratiae, ut ibi fruamur vita glorix.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### SEPTEM DONA SPIRITUS SANCTI A CHRISTO EDOCTA.

Donum timoris, in apparitione facta ss. mulieribus. — II. Donum pietatis in apparitione facta Petro. — III. Donum scientiae in apparitione facta duobus pergentibus in Emmaus. — IV. Donum fortitudinis in apparitione facta januis clausis. — V. Donum consilii in apparitione facta piscanti-

TOM. III. — PARS AESTIVALIS.

bus. — VI. Donum intellectus, quando aperuit eis Scripturas. — VII. Donum sapientiae in apparitione ultima et ascensione.

#### THEMA.

*Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.*

Joan. X.

Vitam nobis daturus venit in hunc mundum



Christus Dei Filius, uti audimus in hodierno evangelio. Qualem porro vitam? Non sane hanc naturalem, quam accepimus a Deo in prima creatione, sed vitam supernaturalem, qua vivit anima nostra secundum Deum, vivit vita gratiæ, victura aliquando vita gloriæ. Quænam igitur hæc vita, quam promittit Dominus in hoc evangelio? Ad hoc respondet Theophylactus in hunc locum: *Ego veni ut vitam habeant, Sancti Spiritus communionem.* Hic enim Spiritus sanctus non quidem formaliter, sed effective est causa vitæ spiritualis, qua vivimus in Dei gratia. Quare sicut Deus in prima creatione hominis inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, hoc est, animam rationalem, simulque vegetativam et sensitivam, ex qua oritur vita: ita Christus Dominus una cum Patre in faciem Ecclesiæ die pentecostes congregatæ inspiravit Spiritum sanctum, per quem secundum gratia viveret Deo ad consequendam vitam æternam. Magnum igitur est hoc donum vitæ spiritualis, et supernaturalis, tantoque majus vita corporali et naturali, quanto corpus superatur a spiritu, terra a cælo, tempus ab æternitate. Porro hanc vitam Ecclesiæ non quomodocumque sed abundantius et copiose dedit, non uno instructam dono, sed septemplici, quo teste Isaia, cap. XI. repletus fuit ipse Christus Dominus, qui in suam Ecclesiam totum suum effudit Spiritum. Porro ut sciremus hæc dona a Salvatore nostro nobis et impetrata et collata esse, voluit ea sigillatim in septem apparitionibus post resurrectionem suam (uti observavit S. Bernardus, serm. III. in resurrect. Domini) prælusionem quadam, non solum ostendere, sed etiam exhibere, quæ nunc paulo fusius expendemus.

I. «In prima, inquit Sanctus Bernardus, Spiritum timoris accipe, quando mulieribus sanctis venientibus descendit angelus de cælo, et terræ motus factus est, ita ut ipsius timore perterritas oportuerit ab angelo consolari.» Invadunt sæpe hominem tentationes vanæ superbiæ, ambitiosæ et præsumptuosæ, ne discrimina sibi occurrentia aut imminencia prævideat, caveat et prævertat; unde incautus sæpe labitur ex nimia sui æstimatione aut præfidentia. Typum talis hominis gessere sanctæ illæ mulieres, quæ pia quidem intentione summo mane exeunt ad Christi sepulcrum, quasi alios, etiam apostolos prævertere cupientes: interim tamen non cogitant gravem lapidis molem, cui removendo impares habebant vires: non considerant armatos sepulcri custodes, a quibus deprehensæ facile necari poterant, velut Christi sectatrices. Quid igitur hic Dominus? Immittit eis Spiritum timoris, ingerendo grave pondus lapi-

dis, excitando terræ motum, proponendo eis angelum, fulgureo aspectu eas terrentem. Ita enim Lucas ait, cap. XXIV. *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, etc.* Docuit ergo hic Dominus, quam indigeamus Spiritu timoris, ne nimium præfisi in pericula nos ingeramus, nisi Dei gratia nixi. Quam multi enim præsumunt de se multa! Ambiunt atque adæunt dignitates et honores, nec cogitant de grandi lapide, qui eis incumbit, de reddenda functionis ratione. Quam multi putant se fortes esse contra dæmones, qui cum ad rem veniunt, terrentur aspectu boni angeli? Quam multi se jam cælo adhærere credunt, qui tamen in tribulatione, nec unum terræ motum sustinent? Bonus ille Elisæus magnam in suo baculo habuit confidentiam, quando eum dedit servo suo, ponendum super defunctum Sunamitidis filium, quasi ejus contactu mox surrecturus esset puer. Sed non surrexit puer et vidit se deceptum Elisæus; quia eam spem non habuit injectam sibi a Spiritu sancto, sed ab humana cogitatione, quæ interdum plura sibi promittit, quam concedit Deus. Id quod maxime expedit Elisæo ne altius saperet de se quam oporteret. Itaque cautior factus, cum timore Domini et melius rem aggreditur. Ascendit enim cœnaculum, et clausit super se ostium, præmisit orationem (quod antea non fecerat) et suomet corpore tangit corpus exanime magna sui arctatione et molestia, neque tamen illico puer revixit, sed lente admodum: prius oscitavit septies, deinde oculos aperuit, denique surrexit, IV. Reg. IV. Impegit in hunc magnum lapidem graviter quidam musicus, Cathusianorum ordinem ingressus, qui initio, ut scribit Dionysius Carthusianus, in exhort. ad novit. «Videbatur ferventissimus esse, quippe qui suis viribus confidebat, sicut gigas ille, quem David arguit sua virtute fidentem. Cumque fratres constantiam ipsius mirarentur, et eum coram de suo fervore laudarent, interrogarentque anne illi esset dæmon infestus, qui illi exitum persuaderet, respondit ille: Nec diabolus (ait) nec matrem ejus curo, usque adeo mihi animus in perseverantia est robustus, ut ante arborem illam (quercum demonstrans) possetis manibus evellere, quam animum meum posset diabolus a sancto proposito detorquere. Sed nunquam profuerunt verba ventosa. Semper enim alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur. Nam paulo post venit illum invisere unus ex amicis cantoribus, qui modica sua suasionem adhibita facillime illum retraxit ad sæculum. Non avulsus nec vim aliquam passus, sed tenuissimo tentationis vento afflatus loco cessit,

et pristinæ se musicæ vanitati restituit. Adhuc stat arbor illa, quam illa monstrarat, tot agitata turbinibus, tot nimbis interea fatigata; ille autem vel levissimo flatu a fundamento revulsus et expulsus est; quia propter superbiam pede motus stare non potuit.»

II. In Spiritu pietatis apparuit Simeon, quia magna omnino et vere Domino Jesu digna pietatis dignatio, quod ei quasi singulariter et ante cæteros dignatus est apparere, quam præ cæteris de negatione ejus rea conscientia confundebat: ut ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia, ait S. Bernardus, ibid. Communis pp. sententia est, Petro nominatim annuntiatam fuisse Christi resurrectionem, ne ob lapsum suum a discipulis cæteris se velut indignum eorum consortio et Christi discipulatu separaret, ideoque in desperationem incideret. Itaque Dominus non injuriæ acceptæ memor, sed infirmitatis humanæ in discipulo suo conscius prævenit eum erigere, et singulari quodam favore corroborare in spe remissionis peccati, seu jam obtentæ, seu mox obtinendæ. Neque hoc solum, sed eidem etiam præ cæteris discipulis speciatim apparuit, ut constat ex cap. XXIV. Lucæ, quo nimirum lapsum et luctantem cum desperatione oculis adjuvaret. Et videte comitatem atque humanitatem Domini: non repente ipsi apperet, sed prius nuntio illo et signo benevolentis suæ disponit ad resumendum animum et spem recuperatæ Christi gratiæ, ne alioquin perterritus contremiseret. Ecce tibi patrem filii prodigi, pœnitenti et revertenti de procul occurrentem, atque, ut probabile videtur, in collum ejus ruentem et osculum infigentem, adeoque plus favoris quam alteri filio, cæteris, inquam apostolis non lapsis, exhibentem. Quis peccator non excitetur ad respicientiam, cum videt tanto amore recipi perduellem discipulum? Quid non expectare possunt a Deo? Si hæc exhibita sunt peccatori. Figuram hujus facti habemus in Jacob patriarcha, qui Josepho filio dedit partem unam extra fratres ejus; quia nimirum perierat, et inventus est: mortuus erat et revixit, Gen. XLVIII. Durum ex hoc hominibus et admodum difficile, offensas cito remittere, et eos, qui offenderunt, in gratiam recipere. Multi se hic torquent, versant et reversant, quidvis aliud facturi potius quam injuriam oblivisci dissimulant quidem ad tempus, sed data occasione iterum prorumpunt ad vindictam; atque ut curatum sit vulnus, manet tamen cicatrix et memoria. Magno igitur Dei auxilio ad hoc indigemus: quod porrexit nobis Christus dono Spiritus sancti nobis missi; docuitque stupendo illo suo exemplo, quo post suam resurrectionem, ne mentionem quidem fecit unquam de lapsu Petri; quasi is nunquam

contigisset. Præstitit hoc etiam ante legem evangelicam mitissimus rex David, cum eos qui de tribu sua contra ipsum rebellarant et Absaloni adhæserant, metuentes offensum sibi regem, ad gratiam suam invitavit, nuntians illis: *Fratres mei vos, os meum et caro mea vos, ausre novissimi reducit regem?* II. Reg. XIX. Ubi Lyranus: «Ex hoc, quod erant de tribu Juda, verecundabantur apparere in conspectu ejus: et ideo David hoc advertens mandavit ut venirent secure, quia paratus erat remittere.» Ducem porro illorum rebellium, Amasam, peculiari benevolentis suæ signo exhilarat sibi que reconciliat, addens: «Et Amasæ dicite: Nonne os meum et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab.» In quo viro præfiguratum deprehendit Petrum Lyranus: «Iste, inquit, inter omnes pius peccaverat contra David, quia fuit princeps exercitus Absalonis, cum tamen esset nepos David, et ideo ipsum specialiter nominavit: sicut et Christus post resurrectionem suam, per angelum expressit specialiter Petrum: Dicite, inquit, discipulis ejus et Petro, Marc. XVI. quia propter Christi negationem non fuisset ausus inter Christi discipulos comparere, nisi fuisset specialiter nominatus.» Adde etiam paulo post declaratum esse pastorem totius Ecclesiæ et apostolorum principem. Cæterum in v. t. pauca tantæ virtutis habemus exempla, in novo vero post missionem Spiritus sancti quam plurima, ex dono scilicet ejus, quod pietatis appellatur. Unicum hic dulcedine plenum audiamus de S. Romualdo ex B. Petro Damiano vitæ illius scriptore: «Solemni quadam die dum vir venerabilis illic cum fratribus in capitulo resideret, et eos salutaris doctrinæ dapibus satiaret, repente ipsum interrumpens sermonem, anxia quadam animadversione exclamare cepit et dicere: Agite nunc, inquit, agite et quantocius prope- rate, quia jam fratris Gregorii cellam fur frangit (hic autem Gregorius archiepiscopus in gentibus postmodum consecratus est) qui protinus exilientes ad cellam perneciter currunt, et furem jam parietes infringentem inveniunt: quem capientes ad magistrum pertrahunt, et quid de tam sacrilego raptore faciendum esset inquirunt. Quibus vir sanctus cepit clariter dicere: Et ego, fratres, ignoro, quid de tam malo homine possimus facere. Eruimus sibi oculos? Sed postea non videbit. Ineidimus ei manum? Sed amplius non laborabit, ac per hoc forsitan fame peribit. Si pedem truncamus, ambulare non poterit. Sed intro eum mittite et cibum illi prius apponite, ut quid de eo faciendum sit, interim pertractemus. Et ita vir sanctus



exultans in Domino, postquam cibari latronem fecit, deinde modeste correptum, et dulcibus verbis admonitum, redire ad propria in pace permisit. »

III. *In Spiritu scientiæ duobus pergentibus in Emmaus. Scripturas exposuit, incipiens a Moysæ et prophetis*, inquit Bernardus in loco cit. Inter tentationes, quæ possunt nos prosternere, est etiam ignorantia, deceptio, oblivio, inadvertentia, quibus profligandis necessarium est donum scientiæ, quo Satanæ astutias, mundi imposturas, vanas persuasiones et carnis deceptiones agnoscere possimus, suggerens nobis veritates iloneas ad eas superandas. Has ergo aperuit Christus duobus illis pergentibus in Emmaus, qui magna sane cæcitate tenebantur, adeo ut a Domino audirent: *O stulti et tardi corde!* Loquantur enim imprimis quasi Christum Deum non agnoscerent: *Prophetam magnum fatentur*, inquit Beda, *Filium Dei tacent, vel nondum perfectio credentes, vel solliciti ne inciderent in manus Judæorum persequentium, quia nesciebant quis esset, cum quo loquebantur, etc.* Deinde, nesciebant quale Christi regnum futurum esset, expectantes temporale, seu aureum, quale erat sub Davide et Salomone. Ad hæc fidem non adhibebant mulierum et angelorum testimonio de resuscitato Domino. Nimium quantum igitur indigebant dono scientiæ, quod in via contulit eis Dominus, aperiendo Scripturas et corrigendo eorum errores, denique se ipsis manifestando in fractione panis. Tunc agnoverunt eum, et imprimis se ipsos redarguerunt, dicentes: *Quare eum non tenebamus? Quare vel ad pedes ejus non corruimus? Quare nobis ipsis et cordibus nostris non credidimus? Ubi eum quaeremus? Ubi eum inveniemus?* Uti in eum locum pie discurrit Eusebius Emisenus. Hunc in modum cum scientiæ dono illustramur, tunc reprehendimus errores nostros et deprehendimus nos ipsos dicendo: *Heu me cæcitate meam! Ubi fui? Quid feci? Quomodo adeo desipere potui?* Sic egisse Davidem legimus postquam ex vana quadam cupiditate numerari jussit populum suum. Cum enim necdum expleta numeratione ira Dei irruisset in Israel (1. Paral. XXVII. vers. XXIV.) deprehendit hoc monitore statim errorem suum, et percussus a corde suo cæpit respiscere, vanitatem suam agnoscere, et culpam deprecari: *Peccavi valde in hoc facto, sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte nimis egi*, II. Reg. XXIV. Deinde, illi duo discipuli sic illuminati accelerato gressu reversi sunt Jerusalem, ut lætissimum hoc nuntium annuntiarent, et doctrinam, quam a Domino perceperunt etiam sociis communicarent. Ad hoc enim confertur donum scientiæ hominibus, ut non sibi tantum sed

et aliis lucem scientiæ præferant. Porro hujusmodi viros quam plurimos habuit et habet etiamnum Ecclesia, uti Sanctum Antonium, qui cum litteras non didicisset, ingeniosissimus tamen et prudentissimus erat, ita ut philosophos ad se venientes in eremum erudire posset: Sanctus Ephrem qui in visu accepit ab angelo librum, cum eoque cœlestem sapientiam et facundiam, necnon precibus Sancti Basilii linguæ Græcæ cognitionem: Sanctum Equitium abb. qui phlebotomo in lingua tactus ab angelo, gratiam prædicandi et fervorem una cum præcepto accepit: sanctum Ambrosium, qui igne cœlitus misso in capite coopertus intelligentiam psalmodum: Sanctum Thomam Aquinatem, qui explicationem difficillimorum sacræ Scripturæ locorum: Sanctum Bernardum, qui fatetur se a fagis et quercubus eruditum: Sanctum Ignatium p. n. qui litterarum adhuc ignarus Minorissæ orans tanta Sanctissimæ Trinitatis perspicacia illustratus est, ut non dubitaret de ea librum scribere.

IV. *In Spiritu fortitudinis januis clausis intravit ostendens manus et latus, sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina demonstrari*, inquit ibidem S. Bernardus. Succumbimus non raro ex imbecillitate, quando aut lethale peccatum gravi tentatione suadet admittendum aut necessitas impendit perdendi fortunas, honorem, vitam, aliudque grave subeundi incommodum. Hic certe vir esse debet, qui Deo inoffenso eluctari, et perdere potius omnia, quam ipsum Deum vult. Opus hic igitur dono fortitudinis desuper collato cum humanæ vires ad hoc non sufficiant. Indigebant vehementer hoc dono discipuli Domini eo tempore, duplici ex causa: primo, quia erant ibi inclusi et absconditi propter metum Judæorum ut ait Joan. cap. XX. *Quia timebant*, inquit Haymo, in eum locum, *ne sicut interfecerunt magistrum suum Dominum Jesum Christum vocibus suis ita interficerent eos.* Secundo, quia viso Christo in medio sui: *Conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre*, Luc. XXIV. Christus igitur Spiritu fortitudinis suæ occurrit utrique timori, priori quando clausis intravit januis, discipulis quasi inadvertentibus, donec eum amicabile specie cernerent intra se. Ita Euthymius, in eum locum: *Januas*, inquit, *non pulsavit, ne turbarentur, sed clausis illis introivit tamquam Deus, etc.* Multo magis turbati fuissent, si clavi aut vi adhibita aperuisset vel perrupisset fores. Itaque hoc pacto primo obicem removit. Sed adhuc terrentur, existimantes se spiritum videre. Statim etiam occurrit huic terrori, dum imprimis consueta salutatione eos alloquitur: *Verbi ante passionem ad eos habiti meminit: Pacem relinquo vobis, etc.* inquit S.

Chrysostomus, in eum locum. Facie igitur mansueta et voce familiari, aliisque additis argumentis, timorem istum sustulit, uti voce illa: *Ego sum, nolite timere, etc.* Timeus etiam nos sæpissime vitæ et fortunæ nostris; ne dum secutur pietatem, Dei cultum et religionem, perdamus temporalia: timemus subinde nobis ab ipsomet Deo, velut ab austero et formidabili exactore et difficili largitore, quo modo servus ille piger, qui dixit: *Scio quia homo austerus es, etc.* Luc. XIX. Verum contra hæc Christus dono Spiritus sancti, quod est fortitudo monuit nos imprimis, dum præsentiam et assistentiam suam nobis promittit, dicens: *Ego sum, nolite timere.* Quid timetis me præsentem? *Ego sum, quem mors fugit, inferna tremuerunt, tartarus Deum confessus est*, inquit Beatus Petrus Chrysologus, sermonibus in illud evang. serm. III. Pasch. Certe Job, cap. XVII. ait: *Pone me juxta te et cujusvis manus pugnet contra me*: et David, Ps. XXII. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hoc dono armatus Sanctus Carolus Borromæus cardin. cum reformaturus congregationem quamdam moneretur a suis, ne eam adiret, insidias enim et necem ibi ei parari, plenus fortitudine respondit: *Ergone Deus in mundo est pro nihilo? Imo vero ibo, Deus, cujus causam ago, tutabitur me: quod si nolit, lubens pro eo occumbam.* Quo circa hoc fiducia suæ præmium tulit, ut ibidem glans ferrea e selopo in eum emissa vestem quidem ejus penetrarit, sed ad cutem hæserit, nulla sancti læsione, ut in ejus vita. Deinde, armat nos consideratione bonitatis et clementiæ suæ, ut enim: *Pax vobis, nolite timere*, q. d. nihil in me formidabile. Videte latus et manus meas, amore vestri perforatas. Denique, si me habeatis vobis benevolam, quid vobis Judæis metuitis? Nonne mecum omnia habetis? Nonne melior vobis sum quam si totum mundum habeatis?

V. *In Spiritu consilii frustra in piscatione laborantes mittere in dexteram rete consuluit*, ait Bernardus. Erramus sæpissime ex præcipitantia nostrarum resolutionum defectu consilii, posthabitis sanioribus eligimus deteriora, et quandoque insana prorsus consilia, adeoque mittimus rete in sinistram partem, cum ad dextram esset mittendum. Succurrit huic miseriæ Dominus dono Spiritus sancti, quod consilium vocatur inspirans singulari providentia media idonea ad vincendam indiscretionem et præcipitantiam illam. Caruit hoc dono, et ad sinistram navigi misit rete Samson, quando reposuit caput suum in sinum mulieris Dalilæ ad capiendum somnum, toties ab ea licet deceptus, Judic. XVI. Sic enim amore ejus cæcatus et ligatus, proditus est hostibus. Pollebat e contra

Joseph, quando sollicitatus a domina sua et per vestem apprehensus, relicta in ejus manu tunica fugit, Gen. XXXIX. Poterat robustus adolescens luctando superare mulierem; sed fugere, etiam relicta veste, maluit, edoctus dono consilii longe securius esse in certamine castitatis fugere quam resistere, et vestes perdere quam pudicitiam, uti Sanctus Ambrosius, l. de Joseph, c. V. ait: «Nec pluris fecit vestimenta corporis, quam animi castimoniam. Reliquit tamquam non sua, quæ adultera suis manibus detinebat: et aliena judicavit, quæ tactu impudicæ poterant comprehendi.» Rursum vestem reliquit, ne tangere cogeretur mulierem, eruditus eodem Spiritus sancti dono, tactum mulieris viro venenosum esse, uti observavit Sanctus Hieronymus, lib. 1. advers. Jovinian. «Quomodo, inquit, qui ignem tetigerit, statim adurit: ita viri tactus et femine sentit naturam suam, et diversitatem sexus intelligit.» Unde Joseph quia tangere volebat eum Ægyptia, fugit ex manibus ejus, et quasi, ad morsum rabidæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium, quod tetigerat abjecit.» In sinistram navigii mittunt retia, qui in consiliis et actionibus sequuntur passiones suas: ad dextram vero qui rationem. Unde S. Petrus Chrysologus, in serm. super illud evang. *Revocat ad dextram*, inquit, *quos turbo passionis egerat et redegerat ad sinistram.* Mittunt ad sinistram rete, qui consilia petunt a rudibus et malis hominibus, uti Roboam: a juvenibus perversis in dextram, qui ab expertis, bonis et sapientibus. Mittunt ad sinistram, qui parvam et sinistram in agendo intentionem habent: in dextram, qui bonam et sanctam. Unde Eusebius Emissemus, in eum locum: *In dextra piscari est veram et catholicam doctrinam sincero affectu et mundo corde prædicare.* Illi nihil capiunt, qui sinistram piscantur intentione: plurimum qui recta.

VI. *In Spiritu intellectus aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*, ait Bernardus, cit. Tentationes quædam prodeunt ex ruditate et obscuritate intellectus nostri in rebus fidei, unde nascuntur dubia, perplexitates, nebulae, diffidentia, languor ad credendum, qualis erat in duobus euntibus in Emmaus, quibus ait Dominus: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ scripta sunt, etc.* Quare aperuit illis sensum, et explanavit Scripturas, quæ de ipso aliquid prædixerant: quia talibus necessarium est donum intellectus et declaratis Scripturarum ac dubiorum resolutio. Qui hoc dono præditi sunt, consulunt in suis actionibus SS. Scripturæ oracula, et cum illis conveniunt; quod si ea non intelligant, consulunt doctores, adeunt sedulo et cum gustu conciones: non ægre ferunt, sed libenter admittunt reprehensiones velut di-